



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. IX. Examen conscientiæ commendatur Religiosis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

& carnes ab iis intra eas servare. Et quanta cogitationum agmina nos invadunt, cum preces fundimus, & Numini supplicamus? Tu vero abige mulcas, perge precari, orationis exordio suum epilogum annecte, quod inchoasti perfice. Verum, in imagine pertransit homo. Imago hominis quem pictor sedentem aut stare parantem pinxit, nunquam surgit, nunquam stat, etiam si videatur velle surgere & stare. Millies hanc imaginem intueri, & nunquam surrexisse cernes, sed surgere tantum modo loquentem. Tales plerique omnes pictae imagines sumus, videmur velle surgere, velle stare, non surgimus, nec stamus. Surgere nos jubet dies Christi Nascantis, molimur surgere, non surgimus: surgere nos jubet dies Christi Resurgentis, nec jam aliud quam antea facimus: surgere nos jubet & alii per annum sacratores dies, sed nos moris nostri sumus, aequè lenta sunt nostra molimina ad surgendum, nec tum surgimus, aut certe mox iterum sedemur, cadimus, jacemus. Ita sanè, in imagine pertransit homo: cadit ut vivus, surgit ut pictus.

Apud Aegyptias Thebas, Memnonis statuam olim fuisse ajunt è nigro lapide ad ortum solis conversam. Hæc imberbem adolescentem referebat, cujus ambæ manus sedti sic innitebantur, ut hominis surgere volentis similitudinem exprimerent: videbatur enim saevus ille adolescens orienti soli velle assurgere. Oculorum autem & totius oris conformatio, hominem jam jam locuturum representabat. Et sunt qui dicant ab hac statuâ sonum edi solitum, cum illam sol oriens radiis suis attingeret. Huic simulachro nos prorsus simillimi sumus. In molli viciorum sede, dies & annos velut clavis affixi hæremus. Et licet surgere velle videamur, & abitu moliti, nunquam tamen surgimus, à vitiis nunquam seridè abimus. Videmur etiam velle loqui, & committas noxas velut non amplius repetendas efficacissimè detestari. Sed heu quam fræctè loquimur! inanis sonitus non ab imo pectore, sed à summis labris evolat. Languidas aliquot voculas ab ore fundimus: *Dolco, nollem fecisse, inconsideratè egi*. Ubi dicta illa robustiora? Ex animo me perierit omnium nozarum, & extreme damno quod feci, malle fluxa hæc omnia perdidisse, quam Deum offendisse, sed statuo, cum Plaste iuro, firmissimè propono, justificationes Domini custodire, & has noxas non amplius repetere: mori malo quam talia denno patrare: coris post hæc vitiis in mei emendationem incumbam.

Paucorum hæc voces sunt, & sint licet, verbis tamen non respondent facta, nec sermo cum vitâ concordat: dicimus & non facimus, statuiamus & nil perficimus, decernimus & non exequimur. Nimirum sæci homines sumus, in pravas consuetudines pessimè obstinati. Et hoc ipso illi lapideo adolescenti non absimile, quod ad naturam sanctioris vitæ senectutem vix inquam pertingamus, atque ita maneamus lapides.

In vestis Aaronicæ orâ infimâ inter campanulas aureas, mala punica purpurascebant: hæc inter arborum frætes excellunt, & rectè virtutum præmiis conferuntur; sed illa non ad supremam vestis marginem, non ad umbilicum, sed imam simbriam appendebantur: ita præmiorum virtutis non incipientibus, non progredientibus, nec in medio hærescentibus, sed finientibus cedit. *Ego fideles usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*.

Itaque in omni bene beateque agendæ vitæ instituto consistat nos nobis ipsis decet, ut semper iidem sumus, in id & meliores sumus, eademque animi & majori semper alacritate curamus quâ cepimus. Si quo forè vitiis diverticulo, iustitiæ iter fuerit interruptum, rursum ad illud per penitentiam revertamur: quoniam autem revertendi facultas interdum morte præciditur, divertere periculosissimum, continuare semper tutissimum. Serviamus illi in sanctitate & iustitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris. At nos nescio quàm morosè vitæ nostræ seriem numeremus; longum nobis videtur triginta,

A quadraginta aut sexaginta annis, integros castosque mores perleverare; pæne tot sæcula quot annos computamus. Ad id levi morala nostra omnis elanguescit. Constantia. O homines pusilli animi! Noënum videte, iustitiam, perfectum, cum Deo ambulante. Hic cum molienda arce manum admoveret, quingentorum annorum erat. Finito sæculari opere illo, sexcentas jam ætates viderat; cum morti concederet, annos vitæ numerabat nongentos quinquaginta. Eo ævi constantissimam innocentiam perduxerat maturus hic celo senex. Ubi jam anni nostri sauculi, è quibus vel unicum innocentiae integrum donare, nimia nobis videtur liberalitas. A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino. Psal. 129. Melius est non cepisse, quam non finivisse. Nihil est quod non expugnet perimax opera, & intenta ac diligens cura. Hæc Christianorum vera demum est gloria, cum Christo posse dicere: *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam*. Gen. cap. 6. vers. 9. Psal. 129. vers. 6. August. de Genim. Sen. ep. 66. Ioan. c. 17. vers. 4.

CAPVT IX. Examen conscientiae commendatur Religiosis.

S. I.

Vos ego nunc maximè appello (sed reverenter & submisè) quorum leges quotidianum esse volunt hoc conscientiae tribunal. Hic ego oro & obsecro (nihil enim in me imperii) si quid facitis, id rectè & integrè facite. Animus domi suæ sit, vigilent oculi, perseverent genua, lingua suis partibus ne desit, opus suum faciant & manus, atque in pugillares, chartam, tabellas referant, si quid debitorum contractum, aut si quid rerum aliarum huc spectantium subnotandum est.

Inter profanissima veterum sacra clamabat olim præco: *HOC AGE*. Hoc ipsum quisque sibi sub noctem se verius oclamitet: *HOC AGE*, conscientiam tuam rimare, & omnes illius angulos excutere. Neque unquam decit quod timeris & excutias. Si Bernardo credimus, conscientia tam nostra quam aliena, abyssus & nox est imperscrutabilis. Ergo inquire in teipsum, de teipso fer sententiam non connivente oculo, attentisque auribus, *HOC AGE*. Sed actum te agere scias, nisi jam hoc unum, idque seridè agas. Ergo hunc diem tuum recognosce, affectus insolentiores compece, marcentia in te excita, soluta constringe, concumacia dona cupiditates tuas iugula: & istis dicentibus, *Quousque eadem? responde, ego debeo dicere, Quousque eadem peccabitis? remedia ante vultus quam vitia desinere*. Ego verò eo magis dicam, & quia recusatis perseverabo.

Hoc ergo agendum est, ut, quod censuram meretur, reprehendi & extirpari, quod laudem, commendari possit, & altius animo inscribi. Beatus, qui

Index ipse sui se totum explorat ad unguem,

Nil ut deliret amissus:

Auson. El. dyll. 8.

Cogitat, & iusto trutina se examine pensat.

Antequam veniat tibi somnus, inquit Chrysostomus, profer Rom. 2. in in medium codicem, conscientiam tuam, & reminiscere peccata tua. si quid in verbo, seu in facto, vel in cogitatione peccasti.

Cum Romano Sapiente hic quisvis optimè dixerit: *Hoc mihi satis est, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, & errores vitæ cap. 17. meos oburgare*. O quoties per diem nosmet amittimus, & vagâ licentiæ errantes velut perdit, aut in Iræ, aut in Impatientiæ, vel etiam in Socordiae dominium impingimus. Vesper, quisquis voluerit revocare gradum, poterit, & à tam barbarâ servitute se vindicare. Inestimabile bonum est, suum fieri, & in seipsum habere maximam potestatem, nec ulli rei affectu nexum esse, nisi uni Deo, cui, an mens hominis se ita donarit, non otiosè ad conscientiae tribunal disquirendum. Hoc opus, hic labor, ut quod tunc faciendum, non oscitanter, non perfunctoriè, non somnulosè fiat. Quis enim non dixerit stultitiæ proprium esse, illud quod quis curâ & studio vix rectè faciat, hoc ignavè ac legniter facere, & aliò

corpus impellere, aliò animam. Quidquid obsequii Deo deferatur, id quam potest studiosissime & accuratissime deferendum est: dignissimum est Deus, in cuius cultum nervi omnes, cum animi tum corporis intenduntur. Nec in levi negligentia ponendum quidquid hic paullo negligentius curatur. Divinus Paulus precatur: *Orabo, inquit, spiritu, orabo & mente*. Nimirum in aliis satis fuerit partem hominis fatigari, hic totus homo nunquam satis laboraverit. Sedulos ministros vult Deus, & qui id quod agunt, tot agant. O Religiosi! an non saepe hoc conscientiae negotium remisit agitur, cum tedium, nausea, fastidium se insinuant, cum somnus & torpor obrepunt, cum cursim & obiter conscientia inspicitur? Gratiae aguntur Deo, sed languide; Lumen à Deo petitur, sed in oculis nictantibus & semilapsis jam nox est; Culparum venia rogarur, sed frigide & mente alibi occupata; Emendationis in posterum fit promissio, sed ea nec firma nec valde seria. Ita haec conscientiae questio & causa per transennam agitur, & dormitante iudice, à quo merito provocatio fiat ad vigilantem; ita rei accusatio, damnatio, castigatio somniculosam celeritate deperatur, jamque pedes ad lectum festinant. O Simon, dormis? O servi Numinis, haec acta diei clausula est, hoc ineunda noctis exordium? Aliquando ad unumquemque horum talium, vox venit non blanda: O Religiose, sic non potuisti, non dicam horam, sed nec unam horulae parte vigilare mecum? Nunc mors tibi dies & horas computat, tu cogita an non annis praeteritis sexcentis & amplius, conscientiae causam dormiens tractaris? difficile tibi non erat ad rerum novarum narratiunculas attentissimis auribus vigilare, at mecum per horulae partem rationes componere, fastidii plenum videbatur. O Religiose, rebus tuis confule, ne & illa vox te feriat: quia te non videns placuisti tibi, displicebis & mihi cum iudicaberis, & tibi cum ardebis.

Isaia 6. 21.
vers. 8.

Psal. 31. 9.

Vitiorum
radices ex-
tipandae.

Idcirco sui muneris esse quisque credat cum Isaia profiteri: *Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem, & super custodiam meam stans totis noctibus: Confitebor adversum me iniquitatem meam, & Dominus remittet impietatem peccati mei.*

Dorothei consilium est, non fibras tantum nozarum amputandas, sed ipsas etiam vitiorum radices & indagandas & extirpandas, quod sane nunquam fiet, nisi quotidianam vigilantiam conscientiae hoc examen quam exactissime instituat. Ergo, O Religiosi, Hoc AGITE quod agitis. Non satis hic inaequalem superficiem utcumque complanasse; ardentiori conatu opus, altius fodiendum est, & ad ipsas errorum origines penetrandum. Vigiliis haec res agenda & solertissima cura, nec parcendum operae: Nemini unquam sua probitas parvo fterit. Sane dormiendo vitia non dediscimus. Summum vitae gaudium bona conscientia; summum vitae supplicium mala conscientia; maximum vel in gaudiis tormentum, conscientiae laniatus; maximum vel in dolore levamentum, pax & tranquillitas conscientiae. Hanc quisque tanto curat impensius, quanto sincerius amat.

§. II. Idem Beatissima Virginis Sodalibus commendatur.

Leges etiam vestrae, O Sodales integerrimi, hanc vobis lineam ducunt, ad quam omne opus diurnum exigatis. At si bene calculum pono, triplex ferè inter vos est factio. Sunt qui dicant: Conscientiam sub quemlibet vesperem examinare, non vacat. Alii paullo protervius: Non lubet, etsi vacaret. Demum vero nomine sodales; Et lubet, inquit, & ut vacet, nos curabimus. Sed nescio an primi illi, his alteris censendi meliores. Inter illos & istos exiguum est discrimen, nisi quoddam illi excusationis mantelium praepandant culpa, non vacat, ajunt; isti socordiam aperte professi, dissimulare nolint vitium, non lubet, inquit. Itane vobis, O boni, non va-

cat? Nimirum ad alia omnia vacamus, praeterquam ad salutis negotium. Suas horas studiis, suas lullibus, & somno suas idque liberalissime partimur: suas sibi horas mensa habet, una conscientia nec horae quadrantem sibi ullà ratione impetrat. Ad quancunque negas abundamus tempore, cum verò à maculis eluenda conscientia, non vacat. Sic tempus avarissimam tenacitate virtutis studio negamus, quod turpissimam prodigiam, in somnum, in ludos, in confabulationes effundimus. Cum salutis res agitur, non vacat, cum sordes animi detergenda, non vacat; cum actiones praeterite diei magno emolumento remeriepda, non vacat; cum horae quadrans saluberrimè suipius notitiae dandus, tam angustum nobis tempus, ut nec tum vacet. Sic ad virtutem contendimus, inter vitia districti. Pudet dicere, honesta non colimus, nisi quantum vacat. At quantum premium nos expectat, si occupationes nostras, & mala haec tenacissima abrumparamus? Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundum nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.

At sunt, quibus sua placet segnitie, etiam sine pallio. Nil excusationis opponunt, hoc labore supersedere se posse autumant, modò dicant, non lubet. Quod tantundem est dicere, ac, nolo facere quod officii mei est, sodalium legibus parere non volo, conscientiae tranquillitatem tanti non facio, ut eam his impendiis emam. Ah! miseri, quousque tandem vestrum illud ignavissimum, non lubet? Filii hominum usquequo gravi corde! Conscientiae puritas tanti est, ut opere pretium sit omnino, eam vel maximis laboribus, vel quantavis molestia redimere. Suppliciorum extremum est, in vitio sibi facere delicias, & mentem cauterio refectam gerere. Beatus Gregorius: *Quisquis, inquit, vitam suam custodiam negligit discutere, quae agit, quae loquitur, quae cogitat, aut despiciat aut nescit, submergiti praesens non est, quia semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere sollicitus non est. Ille autem veraciter sibi in praesenti est, qui se in suis actibus tanquam alium attendit. Nam sunt multa peccata quae committimus, sed idcirco gravia nobis non videntur, quia privato nos amore diligentes, clausi oculis, in nostram nobis deceptione blandimur.*

E veteri memoria in vos testes non producam: videte obsecro vel tantum sodales vestros alios, quibus hoc unice cura & cordi est, conscientiam quotidie in sincerum nitorem repurgare: nullum illi diem finiant, cui hanc clausulam non apponant: nullam illi noctem inchoant cui hanc preparationem non praemittant; nunquam illi prius in lectum quam in seiplos descendunt: errores suos quotidie objurgant, quotidie aliquid ex vitiiis suis demere conantur. De his optime, quem modò dixi Gregorius: *Electorum est, inquit, actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profuit, ab incinis excicare. Meruunt in his quae se egisse meminerunt, & puniunt stendo, quod perpetrasse se intelligunt: timent subtilia divina iudicia etiam de his quae in semetipsis intelligere fortasse non possunt. Vident enim videri divinitus, quod ipsi in se per humanitatem non vident. Atque in hoc secreto interiori iudicii, ipsa mentis suae executione constructi penitendo ferunt quod superbiendo commiserunt. Ibi namque adversum se, quidquid se impugnat, enumerant: ibi ante oculos suos omne quod desleant coacervant: ibi quidquid per iram districti iudicii decerni possit, intuentur: ibi tot patiuntur supplicia quot pati merent, nec desit in hoc iudicio mente concepto, omne ministerium quod punire reos suos plenius debeat.*

Mercatores sunt qui maria terrasque assiduis itineribus circulantur, nunc Romae, nunc Mediolani degunt, jam Parisios, jam & Constantinopolim appellant, domi suae vix unquam sunt. Pace vestra dixerim, tales & vos estis, vagà curiositate omnium domorum incolae, una conscientiae domo pertinaciter devicta, ita vix unquam